

Accord entre Bonneval et Marmoutier (1118), 1

Quum rerum utiliter gestarum memoria per longa temporum interualla mente solet excidere, et ad rediuuam rursus controuersiam earumdem obliuio discordantium animos facile reuocare ; prouida satis atque utilissima consideratione ab antiquis pacisque amatoribus repertum est atque statutum eorum seriem que consulte geruntur, et sua posset ignorantia plurimorum quietem in seditionis et litis discordiam excitare, ad posteriorum noticiam qualiter gesta sint, litterarum apicibus annotare. Quorum nos maioris uidelicet monasterii fratres auctoritatem exemplaue secuti, ad omnium fidelium, maximeque successorum nostrorum Xristo in hoc seculo famulantium uolumus noticiam peruenire, quo tandem fine quauē concordia controuersia illa siue discordia, que diu inter nos et Bone Uallis monachos uersata est, domino quieuerit pacificante. Erat autem aduersus nos eorum talis querela. Calumniantibus quippe nobis iam olim aduersus eos sepiusque reclamantibus quedam in obedientia Sancti Hilarii que dicitur de Grauella, nec non et in ecclesia castri Fracte Uallis, que tunc ipsi tenebant, uentum est inter nos et ipsos ad huius concordie finem. Dimiserunt namque nobis et bona pace concesserunt totam illam Sancti Hilarii de Grauella obedientiam, simulque omnia que in ecclesia siue ad eam pertinentibus iam dicti castri Fracte Uallis habebant. Iam enim eiusdem ecclesie dimidiam partem, et alterius dimidie sextam partem possidebamus, quum hec aduersus eos in capitulo Carnotensi ante deraisnaueramus ; nosque eis uice transactionis quamdam nostram obedientiam, que dicitur Roboretum, non totam uidelicet uillam, ipsa neque enim nostra tunc tota erat, sed quantum in ea die illo ex dono iam Sanzonis, possidebamus, dedimus atque concessimus, litterasque nostras quas hinc habebamus eis tradidimus. Que nimirum concordia, qui eam fecerant monachis nostris uiuentibus, rata et inconcussa utrinque permansit. Illis autem uiam uniuerse carnis ingressis, surrexerunt monachi Bone Uallis dicentes in litteris suis contineri quod eis totam illam Roboreti uillam debebamus acquietare, nec non et aliam terram nostram de Nogento, et quamdam iterum terram Uilellum, in illa eis concordia pacti fueramus donare. Rursus etiam aduersus nos conquerebantur, quod ipsam quoque iam dicti ecclesiam Roboreti reliquiis et quibusdam aliis ut dicebant ornamentis, priusquam eis tradidissemus, expoliassemus. Cumque nos talibus inquietare cepissent querelis, quas non ita se habere sicut dicebant, quin potius omnia eis que in illa pepigeramus concordia plene nos executos fuisse, sufficienti ratione ostendere possemus, iurgia tamen litesque, sicut decet monachos, declinare malentes, terram nostram que dicitur Paisy, sicut eam tres obedientie nostre Puteolum scilicet, Uilellum et Nantulfi Uilla tenebant, insuper eis augentes donauimus, promittentes quod omnes illos qui nobis eam concesserant, eis semel tantum concedere faceremus. Quod cum ita coram Carnotensi episcopo, tunc domno Gaufredo de Leugis, ab utraque fuisset parte concessum, et in eorum capitulo solemniter confirmatum, litterasque nostras eiusdem terre quas habebamus, eis tradidissemus, hoc ipsum, sicut conuenerat, omnes fere qui nobis concesserant, plurima erogata pecunia, eis concedere fecimus. Cum itaque nos finem rei tandem adeptos taliter putaremus, rescinditur rursus concordia et pacta prius placita replicantur. Postulabant etenim, immo uiolenter cogere super prioris tenorem pactionis nitebantur, quatinus cuidam Aurelianis decano, cuius in hac re ius eatenus non audieramus, simulque cuidam leproso concedere, cum hoc ipsum nulli prorsus preter ipsos qui nobis concesserant, nos concedere facturos promississemus. Sed quum in hac causa diu multumque laboraueramus, plurimumque ab eis grauatos nos tam priuatis quam etiam generalibus placitis sentiebamus, rem ipsam perficere et omnino finire cupientes, ad hunc tandem cum eis pacis et concordie finem ex supradictis

omnibus querelis, bona pace, domino fauente, peruenimus. Dedimus enim eis ut petierunt centum solidos preter illa que prius pepigeramus, sexaginta scilicet Carnotensium et Dunensium quadraginta, nec non et annone sextarios nouem, quos hinc se perdisse dicebant, eis restaurauimus. Et hec sibi sufficere dicentes, cum hoc solum modo quod iam in Roboreto a nobis habuerant, seu die illo habebant, sopitis prorsus retroactis inter nos et ipsos hac de causa querelis, et que inde contigerant omnino sedatis discordiis, sepefactam unanimiter concordiam prius coram abbate et quibusdam tam ex nostris quam ex eorum monachis, in ipsius camera perlocutam atque concessam, bona pace in suo generaliter capitulo ratam in perpetuum concesserunt, presidente ipso eorum abbate domno Bernerio, considentibus etiam ibique presentibus de monachis nostris Fromundo priore, Herueo Carnotensi priore, Rotberto Sparnonensi priore, et Rainaldo de Castro Gunterii notario, qui omnes uice nostra quicquid datum a nobis in hac eis concordia fuerat, similiter concesserunt. Hoc autem solummodo retinuerunt, quod si calumnia eis ab aliquo deinceps de terra illa Paissoleti surrexerit, ubi eis cuiuslibet hominis nostri testimonio opus sit, eius dumtaxat qui in ipsis quas inde a nobis habuerunt litteris inuentus fuerit, ipsum eis transmitteremus quando petierint, et cum eo ex monachis nostris quem nobis placuerit, qui pro eis testimonium perhibeat, absque ullo suo uel nostro expenso, tanquam pro nobis. Actum Bone Ualli anno ab Incarnatione Domini M^o C^o XV^o III^o. V^o idus ianuarii, et in eorum ut dictum est capitulo sollemniter confirmatum.

Rainaldus quoque Caro de Uacca cum monachis nostris illuc perrexerat, sed non fuit tunc in capitulo, quia equos eorum in hospitio custodiebat.